

menti et ea, quae Scriptura de eius personis ac rebus dicit, ita Christo applicant, ut insinuent, praeterita fuisse umbram ac figuram futurorum et in Christo adimpleta esse, ergo praeter sensum obvium alium, qui Christum spectaret, habuisse. Deinde in Novo Test. multa vitae Christi facta ideo evenisse affirmatur, ut adimpleretur, quod in Ant. Test. praedictum esset; unde patet, ea verba Antiqui Test. de Christo dicta fuisse. Quum autem istiusmodi verba saepe sensu litterali ad Christum non pertineant: nisi Scriptura fallatur, sensu spirituali ad eum spectent oportet. E. g. Matth. 2, 15. Luc. 24, 44—46. Joan. 19, 36.

2. *Probatur traditione Judaeorum.* Christus et Apostoli frequenter e sensu spirituali contra Judaeos argumenta ducunt, nec illi contradicunt, nec talem argumentationem rejiciunt. Ipse S. Paulus in schola Gamalielis frequentem interpretationis typicae usum didicisse videtur.

Philo fluvios Eden virtutes cardinales esse docet, in patriarchis Abraham, Isaac et Jacob typum videt, Saram philosophiae symbolum habet, circumcisionem aliasque leges caeremoniales allegorice interpretatur. Eodem Philone teste therapeutae Scripturam allegorice exponebant, et verba »symbola latentis naturae per figuras manifestatae« putabant. (Philo, de Abr. De migrat. Abr. De vita contemplat.) Pharisaeos aliquando sensu spirituali Scripturae usos esse, refert Josephus Flavius (Ant. XVII. 3, 4.), qui et ipse, pharisaeus quum esset, quosdam textus allegorice interpretatur. (Ant. Proëm. 4. III. 6, 4. et 77. Bell. V. 6, 4.) In ipso Talmude interpretationes typicae saepe occurrunt; commentarii autem midrašim dicti sensu litterali neglecto interpretationem allegoricam colunt. Generatim Judaei persuasum habebant, quidquid magni et mirabilis de personis et rebus antiqui testamenti dictum erat, id multo magis et sensu quodam eminentiore Messiae ejusque operibus convenire.

3. *Probatur traditione ecclesiae.* Omnes ecclesiae Patres verbis et factis suam de existentia sensus spiritualis persuasionem ostendunt.

Jam Epist. Barnabae Isaac, vaccam rufam, caprum emissarium et circumcisionem typice exponit. (C. 7. 8. 9. 12. etc.) *S. Clemens Rom.* funiculum coccineum quo Rachab exploratores Israelitarum servavit, et ipsa quoque salvata est, in typum sanguinis Christi accipit. (I. Cor. 12.) *S. Justinus* ait: »Interdum Spiritus S. efficiebat, ut aliquid fieret, quod typus erat futuri; interdum autem et sermones pronuntiavit de futuris rebus.« »Cetera omnia a Moyse instituta demonstrare possum, illa figuras (*τύπος*) et signa et praenuntia fuisse tum eorum, quae Christo

eventura erant, tum eorum, qui in eum credituri praenoscebantur.« (c. Tryph. 42. et 114.) *S. Irenaeus*: »Oportebat quaedam quidem praenuntiari paternaliter a patribus, quaedam autem praefigurari legaliter a prophetis. Abraham in semetipso praefigurabat duo testamenta.« (Adv. haer. IV. c. 25, 3. cf. II. 24, 2. sqq. IV. 26, 2.) Sacrificium Melchisedech typum fuisse sacrificii eucharistici docent: *S. Cyprianus* (Ep. 63. ad Caecil.), *S. Joan. Chrysostomus* (Hom. 36. in Gen.), *S. Cyrill. Alex.* (Glaphyr. in Gen. II.), et alii. Similiter typos saepius admittunt: *Clemens Alex.* (Strom. V. 6. 8.), *Tertullianus* (Adv. Marc. 5, 7. et Adv. Jud. c. 14.), *S. Cyprianus* (Ad Magn. ep. 76.), *S. Hieronymus* (Ep. 53. ad Paulin. 8. et ep. 17. ad Marcell.) etc. Scholam Alexandrinam in usu sensus »allegorici« modum plane excessisse constat. Ipsi Patres scholae Antiochenaе (*Chrysostomus*), item *Basilius* et *Gregor. Naz.* etsi immodicas allegorias reprobarunt, tamen ipsi prudenter sensu spirituali usi sunt.

In *catacumbis* Noe ut typus Christi, Moyses typus Petri, Jonas typus Christi resurgentis, sacrificium Isaac ut typus sacrificii crucis, manna ut typus eucharistiae, variis modis depinguntur. Ecclesia autem in *liturgia* Antiquo Testamento ut Novi typo passim utitur.

Idem sentiunt theologi scholastici: *S. Thomas* (Sum. I. q. 1. a. 10.) cujus verba supra (pag. 37. nota 2.) adduximus; deinde *S. Bonaventura* (Brevil. Proem. 5.), — item *Sixtus Senensis* (Biblioth. sancta, III. ed. Venet. 1575. p. 260.) et plurimi alii.

4. Ipsa unitas oeconomiae salutis et relatio antiqui testamenti ad novum naturam prioris typicam postulat. Totum enim antiquum testamentum erat promissio ac vaticinium et quasi umbra rejecta novi, quod omnem suam rationem ac vim a Christo accipit.

Sensus tamen spiritualis non est arbitrario fingendus, sed ex testimonio revelationis aut evidenti ratione hauriendus. Praesertim ubi S. Scriptura vel traditio sensum spiritualem adesse docent, ibi etiam interpres catholicus eum agnoscere debet. Cavendum maxime est, ne propriae mentis figmenta sub titulo et praetextu sensus spiritualis Scripturae ingerantur. Ipsi quidam S. Patres hac in re non semper sunt imitandi, utpote qui in usu rhetorico sensui spirituali et allegoriis audacioribus nonnunquam plus justo indulserint.

2. — *Sensus spiritualis utrum in Novo Testam. adsit*, disputatur.

Nonnulli in Novo Testamento nullum typum, ergo nec sensum spiritualement agnoscunt, quum typi veritatem et perfectiorem oeconomiae salutis statum praefigunt, novum autem testamentum sit veritas et status oeconomiae salutis absolute perfectus. Ita *Reithmayr.* — Alii, e. g. *Patrizi*, in evangeliiis quidem typos admittunt, quia illa plurima

exstante adhuc antiqua salutis oeconomia (ante mortem Christi) facta contineant; sed in oeconomia novi testamenti, quae teste S. Paulo (Hebr. 9, 16. sq.) a morte Christi initium ducit, typos deesse arbitrantur. Christum non typum esse ecclesiae, sed exemplum et exemplar nostrum.

At distinguendi sunt typi Messiani et non Messiani. Non est dubium, quin typi sensu stricto seu Messiani in novo testamento desint. Nam novum testamentum non est praeparatorium, sed perfectum, cui nullum aliud foedus successurum est. Alia quaestio est, num relatio typica inter diversas ejusdem foederis aetates intercedere possit. Res affirmanda esse videtur, et ejusmodi typi sensu latiore accepti — non solum morales et anagogici, sed etiam prophético-historici — in novo foedere admittendi sunt. Huic sententiae suffragatur

1. *Rei natura.* Sicut antiquum testamentum est typus novi, ita prior novi testamenti aetas typus esse potest posterioris. Non quasi novo testamento perfectius succedere possit, quod certe negandum est, sed eo sensu, quod aetas posterior ultimo fini propinquior, itaque aliqua ratione perfectior est. Ita vita Christi physica vitae ejusdem mysticae in ecclesia et membris, vita capitae vitae membrorum typus creditur; ipsaque vita ecclesiae duplex est, terrena et caelestis, militans et glorificata, quarum prior relationem typicam ad secundam habere potest. Et revera analogia diversarum novi testamenti epocharum quasi sua sponte se offert.

2. *Sacra Scriptura.* Matth. 16, 18. nomen Petro impositum typicum esse nemo negat. Luc. 5, 10. miraculosa piscium captura ab ipso Christo typus muneris apostolici constituitur et declaratur; quo simul navicula Petri, ex qua Christus docet, typus ecclesiae ostenditur. Ita etiam navicula in mari Genesareth fluctibus jactata merito typus habetur ecclesiae, inter pericula et hostiles incursus constitutae. — Matth. 26, 29. et Luc. 22, 16. 18. cena eucharistica typice refertur ad beatitudinem caelestem. (Confer missam de euch. sacramento, postcommunio.) — Joan. 6, 27. 32. Christus Dominus multiplicationem panum typum eucharistiae fecisse videtur. — Excidium Hierosolymorum a Christo cum fine mundi nexu typico-prophético conjungitur. — Jam haec et alia plus quam meram analogiam, accommodationem vel exemplum esse, nemini dubium esse potest. Neque typi allati solum morales vel anagogici sunt, sed plerumque prophético-historici.

3. *Traditio.* S. Chrysostomus ait: Christum implentem prophetiam veterem, initium fecisse novae prophetiae »gestis suis futura prae-

significantem«. (In Matth. homil 66, 2.) S. Ambrosius scribit: »Primum umbra praecessit, secuta est imago, erit veritas: umbra in lege, imago in evangelio, veritas in coelestibus.« (In Ps. 30. n. 25.) S. Augustinus qui alibi¹ typicam novi testamenti relationem negare videtur, de sanatione caeci geniti dicit: »Ea quae fecit Dominus... miranda, et opera et verba sunt; opera quia facta sunt, verba quia signa sunt. Si ergo quid significet hoc, quod factum est, cogitemus, genus humanum est iste caecus.« (In Joan. c. 9.) S. Gregorius M. de caeco Jerichuntino miraculose sanato (Luc. 18.) scribit: »Miracula Salvatoris sic accipienda sunt, ut et in veritate credantur facta, et tamen per significationem nobis aliquid innuant, ... per potentiam aliud ostendunt, et per mysterium aliud loquuntur. Quis juxta historiam caecus iste fuerit, ignoramus; sed tamen quid per mysterium significet, novimus.« (Hom. 2. in evang.)² S. Thomas autem ait: »Lex vetus figura est novae legis, et ipsa nova lex, ut dicit Dionysius est figura futurae gloriae.« (Sum theol. I. q. 1. a. 10.)³

¹ »Veniente imperatore imagines tolluntur de medio. Ibi spectatur imago, ubi imperator praesens non est; ubi est autem ille, cujus est imago, imago removetur. Imagines ergo praeferebantur, antequam veniret imperator noster Dominus Jesus Christus. Imaginibus sublatis fulget praesentia imperatoris.« (In ev. Matth. 13, 52.) — Hoc tamen dictum non omnes typos in novo test. negat, sed tantum Messianos. Alibi (C. Faust. L. 22, 6.) S. Augustinus tantum promissiones et figuras Salvatoris veritate reddita ablatas esse dicit.

² Interpretatio tamen Augustini et Gregorii etiam mere mystica haberi potest.

³ Deinde S. Doctor addit: »In nova etiam lege ea, quae in capite sunt gesta, sunt signa eorum, quae nos agere debemus. Secundum ergo quod ea, quae sunt veteris legis, significant ea, quae sunt novae legis, est sensus allegoricus; secundum vero quod ea, quae in Christo sunt facta, vel in iis quae Christum significant, sunt signa eorum, quae nos agere debemus, est sensus moralis; prout vero significant ea, quae sunt in aeterna gloria, est sensus anagogicus.« (I. q. 1. a. 10.) Et alibi: »In S. Scriptura ex prioribus posteriora significantur; et ideo quandoque secundum sensum litteralem dicitur aliquid de priori, quod potest spiritualiter de posterioribus exponi. Inter omnia autem, quae in S. Scriptura narrantur, prima sunt illa, quae ad vetus testamentum pertinent; et ideo, quae secundum litteralem sensum ad facta veteris testamenti spectant, possunt quatuor sensibus (litterali, allegorico, tropologico, anagogico) exponi. Secunda vero sunt illa, quae pertinent ad statum praesentis ecclesiae; in quibus illa sunt priora, quae ad caput (Christum) pertinent, respectu eorum quae pertinent ad membra (fideles), quin ipsum corpus verum Christi et ea, quae in ipso sunt gesta, sunt figura corporis Christi mystici et eorum, quae in ipso geruntur. In Christo etiam futura gloria nobis praemonstrata est; unde ea,

3. — *De unitate aut multiplicitate sensus spiritualis* disputatur. Alii in uno loco plures sensus spirituales, i. e. diversas ejus species simul esse posse et nonnunquam vere adesse contendunt; ergo sensum propheticum-historicum (allegoricum), moralem et anagogicum. Ratio affertur, quod una res multarum rerum signum esse possit. Et revera S. Patres eidem loco saepe varium sensum spirituales subjiciunt. Alii in uno loco sicut unum sensum litteralem, ita unum tantum spirituales a Spiritu S. intentum admittunt. Multiplex enim ratio typica sensum ambiguum et incertum redderet, locumque omni vi probandi atque auctoritate privaret.

Attamen nihil est dubii quin eadem res multarum rerum, et quidem historicarum, moralium et caelestium typus esse possit, ideoque plures sensus spirituales ejusdem rei sint possibiles. Ita Jerusalem, ut constat, ad litteram urbem Judaeae, allegorice ecclesiam militantem, moraliter animam hominis, anagogice regnum caeleste significat, et in Bibliis modo unus, modo alter sensus spiritualis ei subjicitur. Sed uno eodemque loco ex intentione Spiritus S. eadem res non videtur plus quam unum sensum spirituales habere. Si Patres uni typo plures sensus spirituales attribuunt, locum accommodare vel mystice interpretari censendi sunt. Ita intelligendus etiam S. Thomas (Quodl. VII. a. 15. ad 5.) cujus verba infra p. 258. citantur.

§ 91.

Universalitas sensus litteralis.

1. — Olim quidam Scripturam defendere et infidelibus commendare volentes sensum litteralem omnibus locis et dictis S. Scripturae inesse negarunt. Eorum pater est Philo et princeps Origenes. De sententia Origenis sicut homo ex corpore, anima et spiritu constat, ita etiam S. Scriptura triplicem habet sensum: corporalem seu litteralem, psychicum seu moralem, et spirituales seu mysticum, qui saepe eodem loco simul adsunt. Sensus corporalis est sensus obvius, qui multis locis deest, sicut aliis locis sensus spiritualis abest. Alibi tamen Origenes dicit: »De universa Scriptura statui-

quae ad litteram de ipso Christo capite dicuntur, possunt exponi et allegorice, referendo ad corpus ejus mysticum, et moraliter, referendo ad actus nostros, et anagogice in quantum in Christo est nobis iter gloriae demonstratum. Sed quando secundum litteralem sensum dicitur aliquid de ecclesia, non potest exponi allegorice, nisi forte ea, quae dicuntur de primitiva ecclesia, exponantur quantum ad futurum statum ecclesiae praesentis; possunt tamen exponi moraliter et anagogice.« (Quodl. VII. a. 15. ad 5.)

mus, sensum ubique haberi spirituales, non autem ubique corporeum; nam saepe quod corporeum est, impossibile convincitur.« (Princ. IV. 20.) Dignitate omnibus praestare sensum spirituales; sensum corporalem non nisi spirituales gratia adesse, ad id tantum utilem, quod ad profundiorum indagacionem invitet. Sensu corporali dici: sex dies, vespere et mane, paradisum, arborem vitae et scientiae, ambulationem Dei in paradiso, faciem Dei etc. Historiam, quae de his narratur, corporaliter factam non esse, sed ad mysteria indicanda confictam. Similiter sensu litterali carere leges caeremoniales Moysis, quae corporaliter acceptae impossibiles, absurdae, imo Deo indignae sint; e. g. (Lev. 11, 13, 14.) esus prohibitus vulturis (quem nemo comedat) et gryphis (qui non existat), occisio infantis non circumcisi (cujus parentes potius poenam meruerint), prohibitio itineris die sabbati, imo in Novo Test. mandatum neminem in via salutandi. Etiam prophetias de Jerusalem, Juda, Aegypto, Babylone, Tyro etc. ad angelos bonos vel malos pertinere. (De Princ. IV. 11, 12, 15—18, 20, 22, 23. In Num. hom. 11. In Ezech. hom. 3, 2. In Joan. X. 3.) Aliquando ipse S. Hieronymus sensum litteralem negare videtur, e. g. ubi (Jos. 5, 2.) de secunda circumcissione agitur. (C. Jovin. I. 21. Ad Nepot. ep. 52, 2.) Etiam S. Augustinus ait: »In prophetica historia dicuntur aliqua, quae nihil significant, sed quibus adhaereant, quae significant.« (Civ. Dei. XVI. 2, 3.) — Alii sensum loci Isai. 20, 2, 3. indecentem, Osee 1, 2. plane inhonestum putant. Nonnulli autem rationalistarum multas narrationes biblicas praesertim miraculosas meras allegorias habent. Ita inter alios schola mythica et Strauss, qui Origenem theoriae suae praecursorem fuisse gloriantur. Deinde Gust. Volkmar miracula in evangelio Marci narrata imagines veritatum religiosarum vel historicarum (Lehrpoesie) esse contendit.

2. — *Propositio: Sensus litteralis in S. Scriptura ubique necessario adest.* Nam

1. Loci, quorum sensus litteralis absurdus, impius vel ridiculus esse dicitur (e. g. Lev. 11, 13, 14. Jos. 5, 2. Isai. 20, 2, 3. Osee 1, 2.), si recte explicantur, nihil quod offendere possit, habent. Nec quidquam prohibet, quominus S. Scriptura de rebus profanis vel potius remote ad oeconomiam salutis pertinentibus agat.

2. Sensus primus et necessarius est sensus litteralis. Etenim sermo est manifestatio cogitationis per verba; ergo imprimis verba cogitationem (immediate vel mediate) expriment. Natura linguae humanae postulat, ut sermo saltem sensum litteralem habeat. Si ergo Spiritus S. hominibus modo humano loquitur, sermonem natura sua exuere nequit.

3. Sublata sensus litteralis universalitate, argumenta e S. Scriptura peti non possent. Omnes enim auctoritatem Scripturae sensum loci litteralem negando detrectarent.

4. Ipse sensus spiritualis litterali nititur, ex eo cognoscitur, et per eum exponitur, sicut omne quod mediatum est, sine medio esse non potest. Ubi ergo sensus litteralis deest, etiam sensus spiritualis abest, ergo nullus sensus est.

5. Quancumque aestimatione Patres sensum spiritualem prosequuntur, tamen primum omnium in sensum litteralem inquirendum esse verbis et factis docent.

S. Hieronymus scribit: »Verborum S. Scripturae intelligentia imprimis quaerenda est et constituenda; non quia tropologicam intelligentiam condemnemus, sed quia spiritualis interpretatio debet sequi ordinem historiae.« (In Isai. 13, 19.) Et S. Augustinus: »Admonemus et quantum possumus praecipimus, ut quando auditis exponi sacramentum Scripturae narrantis, quae gesta sunt, prius illud factum esse credatis sic gestum, quomodo lectum est, ne subtracto fundamento rei gestae quasi in aëre quaeratis aedificare.« (De tentat. Abr. serm. 2, 7.) S. Gregorius M. ait: »In verbis sacri eloquii prius servanda est veritas historiae, postmodum requirenda spiritualis intelligentia allegoriae. Tunc namque allegoriae fructus suaviter capitur, cum prius per historiam in veritatis radice solidatur.« (In Evang. l. II. hom. 40. in dom. 2. post pent.) Et alibi: »Hoc magnopere petimus, ut qui ad spiritualem intelligentiam mentem sublevat, a veneratione historiae non recedat.« (Moral. I. 37.) S. autem Thomas aperte dicit: »Sensus spiritualis semper fundatur super litteralem et procedit ex eo.« (Quodl. VII. qu. 6. a. 16.)

6. Dicta Patrum, quae sensum litteralem negare videntur, revera nonnisi sensum proprium quibusdam locis abesse dicunt, quem minus recte litteralem vocant. S. Augustinus locos nullam doctrinam moralem continentem dicit nihil significare. Ipse Origenes sensum proprium et litteralem saepe confundit et per sensum corporalem, quem negat, non omnem litteralem, sed tantum proprium intelligit.

§ 92.

Sensus spiritualis non est universalis.

Sicut quidam interpretes omnem sensum spiritualem rejiciunt, ita alii in tota S. Scriptura saltem in Antiquo Testamento ubique sensum spiritualem adesse volunt. Id jam Philo et interpretes Judaei (Talmud, midrašim et qabbalā) senserunt. Constat etiam Patres et

doctores imprimis scholae Alexandrinae sensum spiritualem ultra modum extendisse. Origenes allegorizans sensum spiritualem ubique supponit, litteralem, ut vidimus, nonnunquam rejicit. Qui autem S. Hieronymum figurismi accusant, male verba ejus intelligunt. (Cf. Ad Dardan. ep. 129, 6. Ad Damas. ep. 18. Comm. Isai. Prol. In ep. ad Eph. 3, 6.) Errorem antiquum saec. XVII. recoxit Coccejus theologus protestans, quem aliquot discipuli (Sal. van Til) secuti sunt, *figuristae* vocati. Contra hos statuimus

Propositionem: Sensus spiritualis non ubique in S. Scriptura (neque in Antiquo Testamento) adest.

Propositio probatur

1. *Ipsa S. Scriptura.* Totum quidem antiquum foedus erat typus novi, sed non omnes personae, res et eventus typi sunt, nec omnes voces ac sententiae Scripturae Antiqui Testamenti sensum spiritualem habent. Multi loci nullum typi indicium seu nullam relationem ad Messiam ejusque regnum habent. Ejusmodi sunt non solum multi loci historici, sed etiam multae doctrinae et multa praecepta. E. g. »audi Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est; diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo etc.« (Deut. 6, 4. 5.) Et nullum locum Scripturarum recte intellectum figuristae pro sua sententia adferre queunt.

2. *Argumenta ex traditione.* Si quidam Patres, praecipue Augustinus (Doctr. Christ. III. 22.) et Hieronymus (Ad Dardan. ep. 129, 6. In ep. ad Ephes. 3, 6. Prol. Comm. in Is.), omnia in antiquo testamento figurate vel spiritualiter accipienda esse, in umbra et typo evenisse, sensibus plena esse asserunt: nihil aliud significare volunt, nisi oeconomiam antiquam ex toto i. e. omnes in ea rerum species et historiae sacrae aetates typicas fuisse, non autem omnes personas, res et eventus singulares vel omnes et singulos locos librorum Ant. Test. ad Christum et ecclesiam ejus spectare.

Plurimi Patres figurismum aperte rejiciunt. Tertullianus ait: »Non omnia imagines, sed et veritates, non omnia umbrae, sed et corpora; . . . plures voces eorum (prophetarum) nudae et simplices, et ab omni allegoriae nubilo purae.« (De resurr. carnis, c. 20.) — S. Basilii saepe acriter vituperat eos, »qui anagoges et sublimioris intelligentiae nomine confugerunt ad allegorias« atque »interpretationis praetextu commenta sua inducunt«, et tales sermones »veluti somniorum interpretationes et aniles fabulas« rejicit. »Itaque (Biblia) prout scripta sunt, intelligantur.« (Hom. in Hex. 3, 9. 9, 1.) — S. Augustinus scribit:

»Sicut multum videntur errare, qui nullas res gestas in eo genere litterarum aliquid aliud praeter id, quod eo modo gestae sunt, significare arbitrantur, ita multum audere, qui prorsus ibi omnia significationibus allegoricis involuta esse contendunt.« (Civ. Dei, XVII. 3.) Alibi Augustinus rem comparatione illustrat dicens, typos esse quasi chordas, litteram quasi chordarum fulcimentum et corpus resonans. (C. Faust. 22, 94.) Et *S. Hieronymus*: »Apostolus Agar et Saram ad duo testamenta refert, et tamen non omnia, quae in historia illa narrantur, tropologice interpretari possumus.« (In Jonam, c. 1.) »Qui ex parte typi fuerunt Domini salvatoris, non omnia, quae fecisse narrantur, in typo ejus fecisse credendi sunt.« (In Os. 11, 1. 2.) Idem Hieronymus Origenem saepe reprehendit, delirare et somnare dicit. (In Jerem. 27, 3. 9. 29, 14. In Malach. 1, 10.) In eadem sunt sententia alii Patres: Epiphanius, Hilarius etc., — quibusdam Alexandrinis exceptis. Audiatur adhuc *S. Thomas*: »Quatuor isti sensus (litteralis, allegoricus, moralis, anagogicus) non attribuuntur S. Scripturae, ut in qualibet ejus parte sit in istis quatuor sensibus exponenda, sed quandoque istis quatuor, quandoque tribus, quandoque duobus, quandoque uno tantum.« (Quodl. VII. a. 15. ad 5.) Similiter Sixtus Senensis (Bibl. S. III. ed. Venet. 1575. p. 262.).

3. Nimum typorum studium inanis lusus est, qui saepe risum movet et honorem Scripturae minime auget. Quis enim non rideat, audiens figuristas de significatione typica arae quadratae vel forcipum et emunctoriorum tabernaculi serio disserentes?!

§ 93.

Potestas sensus spiritualis.

Circa potestatem sensus spiritualis duplex quaestio oritur: a) num e sensu spirituali possit argumentum firmum ad demonstrationem duci? b) uter sensus, litteralisne an spiritualis sit praefereendus?

1. — Quoad primam quaestionem

Propositio: Sensus spiritualis saltem in theoria vim demonstrandi habet. Probatur

a) *S. Scriptura*. Apostoli, imprimis S. Paulus sensum spiritualem (typicum) ad doctrinam probandam adhibent. E. g. Matth. 2, 15. verba: *ex Aegypto vocavi filium meum* (Osee, 11, 1.), quae sensu litterali liberationem populi Israel ex Aegypto significant,

in reditu Christi parvuli ex Aegypto adimpleta esse dicuntur. — Hebr. 1, 5. divina Christi filietas verbis Nathan prophetae, ad litteram de Salomone dictis probatur: *ego ero ei in patrem et ipse erit mihi in filium*. (II. Reg. 7, 14.) — Joannes 19, 36. affirmat cruribus Christi mortui non fractis praeceptum (Ex. 12, 46. et Num. 9, 12.) ossa agni paschalis non confringendi impletum esse. — Similiter Rom. 5, 12—14. Gal. 4, 21. Hebr. 10, 1. etc.

b) *Sanctos Patres* sensu spirituali etiam ad dogmata demonstranda usos esse constat.

c) Thesin etiam *rei natura* probat. Si enim spiritualis sensus verus est, a Spiritu S. intentus et certus, non est cur ei vis probandi abjudicetur. Nihil enim omnino interest, verbisne an rebus Spiritus S. pro signo revelationis sit usus.

Regula: In praxi sensus spiritualis solus ad probandum non est adhibendus. Etenim

a) *In S. Scriptura* nullum est fidei dogma, quod solo sensu spirituali nitatur. Scripturae sensu spirituali non tam ad dogmata demonstranda, quam ad veritates alibi sensu litterali traditas et ita certas confirmandas vel potius illustrandas utuntur.

b) Hoc ipsum docent *Patres et theologi*.

S. Hieronymus ad rem dicit: »nunquam parabolam et dubiam aenigmatum intelligentiam posse ad auctoritatem dogmatum proficere.« (In Matth. 13, 33.) Et *S. Thomas* scribit: »Nulla confusio sequitur in S. Scriptura, cum omnes sensus fundentur super unum, scilicet litteralem, ex quo solo potest trahi argumentum, non autem ex iis, quae secundum allegoriam dicuntur. Non tamen ex hoc aliquid deperit S. Scripturae, quia nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium, quod Scriptura per litteralem sensum alicubi manifeste non tradat.« (Sum. I. qu. 1. a. 10.) Et alibi: »Non est propter defectum auctoritatis, quod ex sensu spirituali non potest trahi efficax argumentum, sed ex ipsa natura similitudinis, in qua fundatur spiritualis sensus. Una enim res pluribus similis esse potest; unde non potest ab illa, quando in Scriptura proponitur, procedi ad aliquam illarum determinate.« (Quodl. VII. qu. 6. a. 14. ad 4.)

Rem confirmat usus theologorum, qui sensum spiritualem solum ad doctrinam probandam non adhibent, sed tantum ad eam confirmandam, illustrandam, inculcandam, commendandam vel vero ad orationem ornandam, hoc est ad finem rhetoricum.

c) Sensus spiritualis natura talem limitationem suadet. Sensus enim hic vim probandi non habet, nisi certus sit; certus